AUTHOR:

JAHNE, KARL TRAUGOTT

TITLE:

DISSERTATIO...

PLACE:

BUDISSAE

DATE:

[1849]

Master Negative #

91-80180-28

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Jähne, Karl Traugott
... Dissertatio, a Carolo Pistotheo Jaehne ... conscripta, qua demonstratur, quantum adolescentes nostrates litterarum studiosi lectione Demosthenis juventur in rebus civilibus recte cognoscendis. Budissae, ex officina Monsiana [1842]
16 p. 27 x 23 cm.

At head of title: Ad memoriam D. Gregorii Maettigii ... celebrandam ... invitat ... M. Fridericus Guilielmus Hoffmann ...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA ~~IIA~~ IB IIB
DATE FILMED: 8/14/91 INITIALS ED
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

AD MEMORIAM

D. GREGORII MAETTIGII

DE GYMNASIO BUDISSINO IMMORTALITER MERITI

ANNIVERSARIA SOLENNITATE

KALENDIS APRILIBUS MDCCCXLIX

RITE CELEBRANDAM

SENATUM HUJUS URBIS MAGNIFICUM

GYMNASII PATRONUM

OMNESQUE QUI SCHOLAE NOSTRAE FAVENT ET CUPIUNT

INVITAT ET

EXAMINA DISCIPULORUM PUBLICA

QUAE TRIBUS DIEBUS PROXIMIS SUBSEQUENTUR

INDICIT

M. FRIDERICUS GUILIELMUS HOFFMANN

RECTOR ET PROFESSOR.

Praemissa est dissertatio, a *Carolo Pistotheo Jaehne*, Gymnasii Subrectore, conscripta, qua demonstratur, quantum adolescentes nostrates litterarum studiosi lectione Demosthenis juventur in rebus civilibus recte cognoscendis.

BUDISSAE

EX OFFICINA MONSIANA.

Ex omnibus veterum Graecorum scriptis, quae quidem in gymnasiis nostris lectitantur, nullum est, quod in liberalem et dignam hominibus ad vitam publicam adspirantibus institutionem plus conferat quam Demosthenis novem illae orationes, quas praeter caeteras viri docti appellare consueverunt Philippicas.[1]) Etenim Olynthiacae tres, deinde Philippica prima [2]), tum oratio de pace, Philippica altera et de Halonneso [3]), denique oratio de rebus in Chersoneso nunc gestis nunc gerendis et Philippica tertia: hae orationes ad unam omnes ita sunt comparatae, ut, quum inde intelligatur, quid in ratione civili, quae permultis et gravissimis ex rebus constat, appetendum, quid exterminandum fugiendumve sit, aetas juvenilis egregie sic ad negotia publice olim suscipienda informetur ideoque magnum ex illa lectione fructum eumque perpetuum capiat.

Jam etsi non is sum, qui putem, juvenum vixdum aliqua rerum publicarum cognitione imbutorum esse clavum imperii tenere et gubernacula rei publicae tractare, sed potius existimem, istiusmodi arrogantiae vulnera omnibus doctrinae remediis esse sananda, quia nihil umquam generi humano periculosius aut fuit aut erit quam inconsiderata in re publica capessenda temeritas: tamen non possum quin eos magistros idque gravissimis verbis reprehendam, qui suae aetatis motus conatusque parum intelligentes omnia adolescentium studia ad res publicas spectantia coërcent ac restinguunt, ne qua civitatis particula, quamvis dudum caduca, labefactetur et corruat, quique scriptis veterum Graecorum et Romanorum nihil aliud expressum et effictum putant, nisi exemplum elocutionis, ad quod orationem eleganter possis luminibus exornare sententiarum. Immo

---

[1]) Has novem orationes uno volumine comprehensas anno hujus saeculi quadragesimo secundo Lipsiae edidit Fridericus Franke, illustris scholae Misniensis rector merentissimus, id quod lectores propterea monitos velim, quod in paragraphis locorum ex Demosthene a me enotatorum indicandis virum illum clarissimum secutus sum.

[2]) Ita scilicet usu receptum est ut numeretur, quamquam Olynthiacae tribus annis post habitae sunt.

[3]) Hegesippi hanc orationem, non Demosthenis esse, id nostra quidem aetate prope certum exploratumque est, sed quia videbam, ejus argumentum ad materiam hic tractatam pertinere, deesse mihi nolui quin nonnulla allegarem et in commentarium meum referrem.

vero jam in scholis id agendum est, ut inspiciant discipuli tamquam in speculum in vitas clarorum virorum, qui, seu Graeci seu Romani fuerint natione, communi omnium utilitati servientes magna perfecerunt. Etenim si verum est quod ajunt, eandem esse navigii rationem ac rei publicae, ea profecto navis optime cursum conficiet, quae a scientissimo regetur gubernatore. Maxime igitur refert, utrum a parvulo videris, quomodo navis illa, qua de loquimur, ventis et secundis et adversis cursum suum teneat, an tibi adulto necdum experientia docto maximis in turbinibus ac fluctibus rei publicae navis gubernanda sit, ut salva in portu collocetur. Itaque oportet, ut adolescentes nostri mature condiscant, qualis sit carina, num ex robore facta, ad quamvis vim et contumeliam ventorum perferendam, an ex materia minus solida, sic ut difficilius vada ac decessum aestus excipere possit: tum qualis prora atque item puppis, num ad magnitudinem fluctuum tempestatumque accommodata: porro transtra, ancorae, funes, caetera armamenta, denique quales sint nautae, vectores, gubernator: quarum rerum omnium et singularum iis, qui navigant atque cursum suum maritimum ad littora petita dirigere contendunt, casus extimescendi sunt crebri iidemque funesti. Quod si constanter jam inde a pueritia fecerimus, tandem eo perveniemus, ut viri scientia atque usu nauticarum rerum plerosque omnes antecedamus, optima quaeque praestantes.

Nullus autem populus, qui umquam fuit, neque ulla civitas, sive antiqua sive media sive nova perlustres tempora, tantam similitudinem cum rebus Germanorum habet quantam una Graecia. Quare ingeniosissimi quique juvenes facile illiciuntur atque attrahuntur ad humani generis imbecillitatem fragilitatemque accuratius contemplandam. Nam Graeciae civitates, quum imperare singulae cuperent, imperium omnes perdiderunt: quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, ut Justinus ait [4]), omnibus perire, quod singulae amitterent, nonnisi oppressae senserunt. Siquidem intestina fuerunt in oppidis odia, dissidia, discordiae, seditiones, bella [5]) pariter atque in Germania, quae terra quamquam opibus olim florentissima, hac ipsa re tantum non est collapsa. Et quemadmodum orientales meridionalesque Germaniae partes ab occidentalibus septentrionalibusque distant discrepantque inter se, ita Peloponnesii a caeterorum Graecorum moribus ac natura dissenserunt, principatum affectantibus paene universis. Lacedaemoniorum vero civitas a regibus tenebatur et Athenienses

[4]) Historr. Philipp. VIII, 1.
[5]) Olynth. III, 8. Or. de Pac. 14. 15. 18. 19. Phil. II, 15. Or. de Halonn. 35. not.

suam quidem rem publicam tyrannis exactis in libertatem vindicaverant, initio certe omnibus affluentem bonis, postea vero factionibus misere dilaceratam, sic ut rectissime dicas, Athenas hoc uno malo concidisse, libertate immoderata et licentia concionum. Reliquae autem civitates, quum illis potentia multo inferiores essent, partim invitae societatem periculorum aut cum Lacedaemoniis inire coactae sunt aut cum Atheniensibus, ne ab hostibus nunc externis nunc domesticis vexatae funditus everterentur, donec intolerabilibus exhaustae tributis adductae sunt in servitutem [6]). Nec Amphictyones hic silentio praetermittendi sunt, qui tametsi ipsorum erat Graeciae moderari, tamen impedire non potuerunt quin magnae ruinae ederentur, quarum auctor Philippus exstiterat rex Macedoniae.

Cujus imaginis lineamenta ut accuratius effingantur, non abs re erit addidisse, quae pertinent ad praesentem Germaniae statum, qualem majores nostri, quod valde dolendum est, jam a duobus inde saeculis esse passi sunt, vix ac ne vix quidem erubescentes. Etenim post abominandum illud triginta annorum bellum, cujus incommoda, pessumdata nimirum et classe et mercatura olim maxima et copiosissima, etiamnunc resident in venis atque visceribus rei publicae, Germanis admodum raro facultas data est vires colligendi dissipatas et opes residuae tantum non de industria finitimis objectae sunt ad diripiendum, id quod per longam continuorum annorum seriem usque ad novissima tempora duravisse constat. Nam Austriaci quidem non minus odio habebant Borussos quam Borussi invidebant Austriacis, ac rursum utriusque populi principes conspirabant ad caeteras gentes misere opprimendas. Quid? quod ne nunc quidem in Germania concordamus, sed paucis exceptis nemo non est in superiores contumax, in aequos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis. Quare nihil est quod mireris, Germanos agris suis a Napoleone ferro et igne depopulatis in partes discessisse et alteros ab alteris descivisse. Indignissimum autem facinus hoc est, quod, ut olim Persae pace Antalcidea pericula praestiterunt Graecorum [7]), sic nostra aetate Russi pace Vindobonensi in se receperunt fore, ut Francogalli posthac quietem agant. Ac pristinum illud regiorum legatorum concilium, toties Francofurti congregatum et proximo superiore anno maxima populorum approbatione abolitum, in quo meliorum temporum spes tam diu reposita fuit, quid tandem utilitatis attulit [8])? Ioannes vero, grandaevus ille princeps Austriacus, cui summa imperii nunc permissa est, num efficere poterit, ut omni ex parte

[6]) Ibid. 32. [7]) Ibid. 29 ex. cl. Phil. III, 16.
[8]) Umbra cum Demosthene erit appellanda in or. de Pac. 25.

saluti nostrae prospiciatur atque res eo perducantur, quo qui Germaniam amant eas perduci cupiunt? Vix ego crediderim, quum, nisi paullatim soboles succrescat non solum erudita, verum civilium quoque rerum satis perita, firmo destituti fundamento careamus. Est igitur cavendum, ne, dum inertia consopiamur ipsi, juvenes quoque in pristinum ignaviae morbum recidant, id quod felici cum successu evitabunt opinor, si scripta Demosthenis legerint, laudatissimi illius Atheniensium propugnatoris. Atque tanto plus ista lectio proderit, si, quoad longissime spatium praeteriti temporis respicere et omnino rerum Germanicarum memoriam recordari possumus ultimam, inde usque repetendo breviter in scholis commemoraverimus, quae olim fuerit patriae nostrae conditio.

Germania sub uno rege potentissima erat; mox autem vel segnitie vel patientia eorum, qui deinceps imperabant, inter adeo multos et regulos et dynastas et principes divisa est, ut domino exciderit tota. Quodsi dehinc amabimus securitatem, hi potissimum obstruendi erunt malorum fontes. Illa enim quam novimus gentis nostrae obsequentia et illa regum indulgentia in primores, illa denique incauta in eos profusio, perdidit praecipuas imperii vires exposuitque summam dignitatem et despectui et injuriis. Quare opibus procerum adultis et ipsa diuturnitate temporis ac stupore regum jam prope legitimis adornata est tyrannis. Etenim in praefecturas missi regiarum amicitiarum indulgentia hoc culmen sibi condiderunt, ex quo postea sive ipsi sive eorum posteri certaverunt cum regibus. Et quamvis inter se aemuli, tamen vix libenter, quemquam suorum a rege in ordinem cogi, accepere. Quisquis ergo seditionem faciebat, caeteri aderant vel palam vel privatis obsequii affectibus. Quae quidem conjuratio omnium contra unum quum non in tempore idoneis prohibita sit consiliis, Germania periit. Perierunt urbanae et rusticae opes, quascunque regni provincias pestifer ille turbo seditionum afflaret. Consumpta est animorum honestas, et prudentium quos habebamus sollertia his domesticis malis vix suffecit sedandis. Instituti sunt praeterea animi juventutis ad audaciam et contemptum majestatis infandamque dulcedinem bellorum, in quibus furor et aviditas quum subitas pugnas tum praesentia praemia habet. Quod utinam majores nostri eo quo debebant modo secum reputavissent!

Pariter autem ac Germani quondam Athenienses omni generositate animi floruerunt. Ut enim de Trojanis et illorum temporum fabulis taceam, quas equidem confictas a poëtis arbitror, ut blandimentis et rerum et verborum animos audientium delectarent et adhiberent voluptates, nemo inficiabitur, Atheniensium

opera Graeciam a Persarum dominatione liberatam esse [9]). Nam Xerxes non equitatu, non pedestribus copiis, non navium multitudine, non infinito pondere auri potuit efficere, ut Graeci parerent et dicto audientes essent tyrannis [10]). Quarum rerum omnium quae tandem caussa fuit? Quod initio quidem populus, impetrans a se, ut quidquid esset periculosum aut certe cum incommodis conjunctum prompte faceret, dominus erat magistratuum et rebus gerendis praefectorum, sic ut bona civitatis omnia in sua potestate haberet [11]). Antiquis enim temporibus Athenienses non tam suae ipsorum utilitati consuluerunt quam semper suum esse crediderunt jura et libertatem caeterorum Graecorum ab injuriis potentiorum defendere [12]). Atque commonstrant annales, eos, quum possent reliquis Graecis ita imperare, ut ipsi obedirent regi Persarum, eam conditionem non modo esse aspernatos, sed et urbem deserere maluisse et quamvis aerumnam pertulisse, quum contra Thebanorum et Argivorum majores, illi in exercitu stipendia mererent barbari, hi ei nullo pacto adversarentur [13]). Quamobrem Athenienses a bello Persico secundo usque ad bellum Peloponnesiacum annos quadraginta quinque vel annis belli Peloponnesiaci octo et viginti additis [14]) annos septuaginta tres in socios minime invitos imperium tenuerunt atque hostibus propter innocentiam eorum timor injectus est maximus [15]), usque dum procellae ex Macedonia impendentes Graeciam inundavere.

Quodsi nunc ad eam partem dissertationis meae venio, quae pertinet ad res gestas Philippi Amyntae filii Macedonis, infestissimi Graecorum et hostis et inimici, monendum iterumque monendum est, me viri illius ingenium ac mores nonnisi dictis explicaturum esse oratoris ira fortasse saepenumero ultra modum excandescentis. Etenim tanta vicissitudo illorum erat temporum, ut non modo res terrestres, sed maritimae quoque, nec imperium tantum, sed commercium, denique non rerum publicarum modo, sed singulorum quoque civium libertas ac salus in discrimen vocaretur. Quare multa illa invidia, quae ejus aetatis arbitro, penes quem summa imperii erat totius paene Graeciae, conflatur, etiamnunc facit, ut Philippi laudes mirum quantum obscurentur [16]). Verum enimvero unius Demosthenis vestigia nobis premenda videbantur propterea quod id ipsum agebamus, ut luculenter appareret, qualem orator hic excellentissimus Philippum esse censuisset quodque judicium de ejus conatibus inceptisque fecisset.

---

9) Or. de Halonn. 7. 10) Phil. III, 36. 11) Olynth. III, 30. cl. Phil. III, 37.
12) Phil. I, 3. 13) Ibid. II, 11. 14) Ibid. III, 23. cl. Olynth. III, 24. 15) Phil. III, 45 ex.
16) V. Benj. Gotth. Weiske de Hyperbole errorum in historia Philippi commissorum genitrice.

Quam quidem excusationem ut viri severiores accipiant, qui ad vivum omnia resecari volunt et singula quaeque subtilius edisserunt, etiam atque etiam rogo, quos fortassis offenderit, si delibare potius quam complecti res visus fuero.

Primum igitur juvenes historiarum Philippicarum lectione gaudentes docebuntur, quibus tandem expeditionibus deinceps factis[17]) rex ille famosissimus annis circiter tredecim[18]) eo pervenerit, ut, urbibus Chalcidicis imperio suo adjunctis, Phocensibus oppressis et maximam partem crudeliter obtruncatis, Thessalis subactis atque non solum oppidatim, sed etiam regionatim in servitutem addictis[19]), duobus tyrannis in Euboea constitutis[20]), Thracibus subita incursione conterritis, Hellesponto praesidiis occupato, Thebanis sibi conciliatis[21]), Megara tentare, Peloponnesios autem, inprimis Argivos et Messenios, ad bellum contra Lacedaemonios instigare[22]) et omnibus Graeciae civitatibus insidiatus[23]) paullatim ipsos adoriri potuerit Athenienses, utpote quibus praeter caeteros eripere moliretur libertatem. Quae quidem inimicitia et quasi conflictio cum Atheniensibus inde originem traxit, quod socii populi Atheniensis, mercaturam exercentes maritimam, misere a Philippo expilabantur: quo facto Athenarum opes graviter accisae sunt[24]).

Ac sane erat in Philippo summa rerum gerendarum alacritas[25]), in qua velut divinitus indita[26]) omne suum studium et aetatem consumebat; mirifica quaedam ambitio, qua semper ad contentionem irritabatur[27]); singularis calliditas, qua omnes decipiebat, et perfidia plus quam abominanda, nihil veri, nihil sancti, nulla religio[28]); turpis largitio, qua homines abjectos ac venales corrumpebat[29]). Porro infinita regnandi cupiditas in eo conspicua est, qua nullis legibus, nullis vinculis coërcitus unus omnia et arcana et aperta moderatur atque exercitum ipse ducens bella suscepta celeriter et tempestive conficit non sine maximo suo commodo.[30]).

Huc accedit, quod nequaquam tumultuaria undique auxilia raptim ab eo contrahuntur, sed exercitus in Macedonia ipsa conscriptus et perpetua militia exercitatus prompte ei obedit[31]), per quem, ad singulas urbes circumferendo

---

17) Potiores Philippi expeditiones enumerantur Olynth. I, 12. 13. Cf. or. de Coron. p. 265. ed. Tauchn.
18) Phil. III, 25. 19) Ibid. 26. 20) Or. de Cherson. 36. cl. Phil. III, 27. 21) Phil. II, 18. 19.
22) III, 17. 23) II, 2. cl. 16. 24) I, 34. 25) Olynth. I, 14. 26) Phil. I, 42. 27) Olynth. II, 15.
28) Ibid. I, 5. cl. 3. 7. 29) Phil. III, 9. 30) Olynth. I, 4. de Chers. 11.
31) Phil. I, 4. cl. de Chers. 11.

bello, castella et oppida brevi omnia oppugnando capit, quorum pleraque diruit atque incendit oppidanosque prope ad internecionem delet[32]). Quod autem milites ad obsequendum facillimos nactus est, ejus rei caussa et in bellorum prospere gestorum inest continuatione et in ipso, quippe qui plurimum audaciae ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula haberet neque ullo labore aut fatigari aut vinci posset[33]). Itaque factum est, ut Atheniensibus, contra quos ille omnia moliebatur[34]), ne optionem quidem daret, utrum bellum gerere an quietem agere mallent, sed, haud raro longe ultra aequitatis terminos evagatus, insolentes ac superbas minas jactabat, pericula intendebat, formidines opponebat[35]), quum eum viderent portus suos et navalia et triremes et argentifodinas et proventus infinite concupiscentem[36]). Itemque ne extrema quidem contumelia abstinuit: nam praeterquam quod urbes Phocensium everterat, etiam Pythiis praefuit, communibus Graecorum ludicris, et si quando ipse abesset, servos suos, quo quidem vocabulo Macedonum purpurati nuncupantur, certaminibus praefecit[37]). Quid? quod Oritis seditione civili quondam agitatis acerba irrisione dictavit, se illis morbo affectis ob benevolentiam milites misisse, qui eos viserent iisque curandi caussa assiderent; esse enim sociorum et verorum amicorum in istiusmodi temporibus adesse amicis[38]). En Philippum, qualis ab Demosthene depingitur.

At vero dixerit aliquis, semper unum aliquem ex regibus seu potentibus seu versutis exstitisse, qui bello finitimis illato quum vi armorum tum astutia fines imperii sui propagaret. Ergo satius fore, a discipulis nostris acta vel Ludovici quarti decimi vel Napoleonis legi, quorum uterque Germanis multo cum successu insidiatus sit. Has res cognitas habere plus profuturum esse quam Philippi, quandoquidem pertineant illae ad Germaniam ipsam ejusque statum praesentem.

Quam opinionem ego ita refutandam esse censeo. Sane quidem adolescentes ista bella perlustrantes in motus intuebuntur civiles eosque ingentes, sed minus fructuosos. Nam Germania, quamquam acriter tunc temporis impugnata, tamen non tota corruit. En vero Graeciam. Res Philippi ad omne aevum erunt maxime memorabiles, quoniam nihil profecto melius docet, quibus vitiis praestantissimae nationes interire soleant. Cognoscent igitur juvenes non modo antiquarum litterarum studiosi, verum scripta Demosthenis diligenter versantes

---

32) Phil. I, 9. cl. 4. 33) Cf. or. de Coron. p. 264. ed. T. 34) Phil. II, 16. 35) Ibid. I, 9.
36) Or. de Chers. 45. 37) Phil. III, 32. 38) Ibid. III, 12.

atque comparationem ubique instituentes, nobis Germanis eodem fortasse modo pereundum esse atque Graecis olim pereundum fuit, imminentibus ex una quidem parte Sarmatis et Scythis, qui communi Russorum nomine nunc appellantur. ex altera Francogallis, a quibus libertati gentis nostrae, ut ad bella suscipienda eorum alacer ac promptus est animus, aeque vehementer timendum videtur. Nam et Russi et Francogalli, quoniam opibus ac fortitudine pollent et Macedonica insignes sunt vafritia, nobis Germanis in partes nescio quot divisis ita minantur, ut ab utroque populo ingens libertati periculum immineat. Maxime vero Russi pertimescendi sunt eorumque proceres, qui omnibus viribus cavebunt, ne nova illa rerum publicarum institutio, quam caeterae Europae gentes aut jam nactae sunt aut summo studio appetunt, invalescat. Ac non deerit, qui in hac confusione temporum speret, se alterum fore Philippum. ad quem summa imperii Germanici redeat.

Jam ut eo revertamur. unde modo digressi sumus, ac narrationis nostrae filum ea qua par est diligentia deducamus: incommoda illa, quibus Athenae premebantur, tot et tantis injuriis a Philippo acceptis, sane obrepserant illa quidem extrinsecus, sed domi alebantur et augebantur improbitate tum magistratuum plebi adulantium ignavorumque, tum oratorum [39]) haud ita paucorum. qui summa cum impudentia in conciones [40]) procedebant et pecunia numerata Philippum acriter defendebant [41]), perfidiam ejus partim excusantes partim adjuvantes [42]). Multi enim, quos vere perduellionis arguas, proditionis sibimet conscii utilitatem patriae seque ipsos aperte vendebant auro hostium empti, solo Demosthene iis resistente [43]), quem illi dona regia spernentem pro homine frigido et moroso habebant [44]). Quin etiam histriones, ut Neoptolemus quidam. Macedoni se addicebant [45]).

Hanc Demosthenes ignominiam vehementissime increpabat. quia Philippus nihil non ea re sibi compararet. sine mora resciscens, si quid ageretur. quod majoris esset momenti [46]).

---

39) Or. de Chers. 61. Phil. III, 2. 53.
40) *Πύκνα* dico Lycabetti, in quo clivo Athenienses conveniebant.
41) Or. de Hal. 17. de Chers. 53. 64. 66. Phil. II, 34. 42) Or. de Hal. 18.
43) Or. de Pac. 5. de Coron. p. 262. 44) Phil. II, 30.
45) Or. de Pac. 6. 8. — Quod autem Aeschines, homo judicii parum acuti, proditor audit, quotiescunque ejus mentio fit, hoc in eum malevolentius quam verius jactatum videtur.
46) Or. de Hal. 5. 23. Phil. I, 18.

Fit autem hoc plerumque, ut imperita multitudo assentatoribus publicis, plebicolis istis, ut Livius ait [47]), qui populos nec in armis nec in otio esse sinunt, auscultet. Quotus ergo quisque Atheniensium, nisi forte credideris, eos praeter caeteros egregie cordatos atque intelligentes fuisse, inventus fuerit, qui. blandis illecebris oratorum Philippo servientium irretitus, Demostheni faceret audientiam fulguranti. tonanti, Macedones e Graecia studiose repellenti, conviciis ingratisque exhortationibus obsecuturus? Vani ut erant itidemque socordes aut haerebant affixi concionibus mirum in modum exsultantes gaudio, si quis re publica malis affecta aures permulsisset, probris atque criminibus in duces [48]) ingestis. aut sedebant desides domi [49]) praesenti pace duris conditionibus impetrata laeti nec cernentes, ex otio ipso multiplex bellum esse rediturum. Et dum oratores altercabantur, rex attollebat animum et communis res Graecorum loco erat pejore; belli gloria penes hostem, quem Athenienses plerumque suis oneratum fortunis abire sinebant. Quae quum ita sint, sequitur, ut juvenes scripta Demosthenis legentes sua sponte animadvertant, valde dubium esse quod vulgo nunc affirmant, eloquentiam bene constitutae civitatis optimam esse quasi moderatricem. Sane quidem haec homines ex feris et immanibus mites reddidit et mansuetos, sed saepenumero oratores ea perverse utuntur, quamvis nihil sit tam inhumanum quam eloquentiam ad salutem et conservationem patriae datam ad hujus ipsius pestem perniciemque convertere. Ac videmus nostra quoque aetate alios insana levitate repletos, alios pecuniae cupidos, nonnullos gloriae, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio, quod quidem est turpissimum. An qui nuper in omnibus circulis versabantur, singulas provincias peragrabant, nundinas et conciliabula obibant, ut legati mitterentur ad comitia sive Dresdae sive Francofurti habenda, ad unum omnes incolumitati Germaniae prospecturi erant? O si illorum maxime hominum ambitio comprimatur, quibus populi aut ludibrio aut quaestui esse coeperunt!

Disputandum est porro de re militari, qualem Demosthenes illa aetate apud Athenienses exstitisse demonstrat. Nam inde demum intelligas evidenter. quomodo fieri potuerit, ut Athenienses tam cito et paene subito Philippo succumberent. Etenim majores illorum devictis Persis vere aliquando terra marique Graecis imperaverant et, tropaeis multis iisdemque praeclarissimis, quae bellicae

---

47) Historiar. l. III, 68 ex. 48) V. Diopithes in or. de Chers.
49) Olynth. II. 23. de Chers. 22. Phil. II, 3.

laudis victoriarumque insignia et monumenta essent, positis [50]), armis ita se assuefecerant, ut, quemadmodum bonos cives decet [51]), nusquam non ipsi militarent. Exploratum autem atque compertum habemus, securi imperii non aliud certius esse pignus quam ex civibus comparatum exercitum.

Postea vero quam sua vigilantia perfecerunt, ut tutam tranquillamque pacem diutius haberent, sensim haec consuetudo Atheniensium minui coepta est, et cives militiae disciplinam subterfugientes modica mercede ex aerario proposita conducebant, qui ad bellum proficiscerentur. Itaque evenit, quod in tali rerum statu evenire solet, ut, quum parum iis curae esset recte ad decus laudemque civitatis facere, hi exercitus propter suum quisque emolumentum vel amicos debellarent, socios spoliarent et hostes paterentur justo fieri potentiores [52]). Neque vero milites illi mercenarii gravius ob istiusmodi flagitia vituperandi sunt propterea quod, licet stipendia iis promissa essent, tamen plerumque nihil acci-piebant. Nam pericula quidem erant imperatorum, sed nullum praemium, immo quum stipendia persolvenda essent, bella suopte et arbitrio et periculo suscipere coacti erant inprimis adversus insulanos omnibus rebus abundantes, partim latro-cinando partim dona exigendo se suosque alentes [53]). Nemo scilicet ignorat. populum Atheniensem, quippe qui spectaculis elegantiaque scenae maximopere delectaretur, nequaquam aerario pepercisse, sed pecunia militari in rem impensa theatralem stulte ludos apparavisse magnificentissimos, sic inquam ut nullus umquam populus apparaverit sumptuosiores, adeoque sancitum est lege, ne mutaretur hic usus abrogando, derogando, obrogando [54]). Itaque accidit, ut omnes disperderentur ac dissiparentur opes publicae et nihil postremo relin-queretur nisi hocce, ut, quoniam pecunia semper ubique terrarum et fuit et erit rerum gerendarum nervus, singuli cives ex censu tributa conferre juberentur. quod quantum possent impediebant, ne fieret.

Deinde sapienter quidem quotannis a populo Atheniensi pro numero tribuum deni creati sunt imperatores seu praetores, qui bellum administrarent, ne quis suprema potentia elatus atque vanus ob diuturnitatem imperii regiae dominationis dulcedine caperetur; itemque bini creati sunt hipparchi, qui praeessent equi-tatui, sed illi potissimum creati sunt in forum, id est ad pompas in foro ducen-das, et hipparchorum non minima pars officii fuit dierum festorum splendorem

[50]) Olynth. III, 24.
[51]) Ibid. I, 6. 20. 28. II, 27. 31. III, 14. 15. 34 ex. 35. Phil. I, 7. 44. de Chers. 46.
[52]) Phil. I, 24. [53]) Olynth. II, 28. de Chers. 24—26. [54]) Olynth. I, 19. III, 11.

atque institutas solennesque cerimonias equitum decursionibus celebrare. Quo-circa nemini profecto mirum videbitur, si cognoverit, praetores illos, quippe mera fere simulacra ducum, ab Demosthene cum imaginibus ac figuris ex argilla formatis comparari, quum contra in imperatore has res inesse oporteat, scientiam omnis rei militaris, spectatam virtutem, summam auctoritatem. Quid multa? non raro res Atheniensium a peregrinis, dum ipsi praetores aut domi sedebant aut Lemnum lustrabant, gestae sunt [55]). Cujus ego generis universi exemplum adjungam satis illustre.

Bello Amphipolitano infeliciter contra Philippum gesto Demosthenes in con-cione quinquaginta triremes et idoneum vectoriarum navium numerum instrui jubet [56]) et ante omnia copias instructas paratasque habendas esse censet, quae in vicinia Macedoniae collocatae [57]) continenter regem vexent eumque domi detineant. Quas quidem copias partim e civibus constare vult [58]), qui per certum tempus militent, ut subinde aliis alii succedant, rerum gerendarum quasi spectatores [59]), partim e peregrinis [60]), quibus affatim commeatus suppedi-tandum esse commonstrat [61]). Habebant autem revera Athenienses illa tem-pestate copias longe maximas, naves et constratas et apertas, gravis armaturae legiones, equites, pecuniae reditus, at earum rerum nulla umquam opportune utebantur, sed faciebant, ut barbari pugilatus imperiti, e quibus is, qui inter luctandum plagam accepit, manus admovet ei parti corporis, cui inflicta est plaga, nihil praecavens vulnus, sed accepto demum vulnere repugnans [62]). Itaque comprobat orator, magnam esse posse pacis, ut ita dicam, castrensis et perpetui exercitus utilitatem [63]).

Quibus explicatis jam ostendendum erit, quid adolescentes nostrates litte-rarum studiosi hoc e fonte haurire debeant. Nam paene in omnibus conven-ticulis, in quibus homines quidam insulsi garriunt quidquid in buccam venit, ex quo quidem in res civiles ab iis quoque inquiri solet, qui, quamquam omnino subtilioris eruditionis expertes atque ignari sunt, omnia nostrorum majorum instituta continuo aboleri volunt, inter alia multus est etiam sermo de stativis praesidiis, in quibus milites nunc habentur, et quotidianis illorum nugatorum querelis perfacile fit, ut juvenes pravitate quadam opinionum de re militari imbuantur. Quodsi scripta Demosthenis legerint, brevi manifestum et

[55]) Phil. I, 26. 27. ibique Fr. [56]) Ibid. 16. [57]) 32. [58]) 19. [59]) 25. 47. [60]) 21.
[61]) 28. [62]) 40. [63]) Or. de Chers. 17.

apertum erit, colligendum esse exercitum, quem hostes formident, qui sit et in pace et in bello paratus. Firmabit hic terror veteres amicitias externorum et novas inveniet, ut, si in promptu sit miles, opprimi cum dignitate possit quodvis malum obrepens, quia firmae legiones et assuetae disciplinae statim objiciuntur, nec facile quisquam illis par est militibus, qui sciunt adversariis resistere, servare ordines, obsequi ducibus, locum castris et pugnae idoneum occupare. Ita tutandae regioni et vel prohibendo vel inhibendo furori hostium utilissimus miles est, qui non colligendus, non informandus est, sed hostem armatus exspectat; nec ulla re majorem apud externas gentes verecundiam nobis parabimus, quam si curabimus, ut legiones praesto sint ad nutum paratae. Si denique ad naturae bonitatem institutio accesserit, verecundantur opinor hostes scientes, non tironum apud nos, sed veteranorum esse militiam. Hoc enim experientia docti scimus, longe aliud esse conscriptum nuper militem in aciem educere, aliud viros in rebus strenue gerendis exercitatos. An ea fide, eo ardore recens adacti ad sacramentum pugnabunt, quo illi, qui inveterato bellandi affectu signa cum hostibus conferent?

At inquies sumptuum ratio habenda est. Molestum et grave tot centuriones, tot tribunos, tot milites alere: an non cunctas Europae civitates ob id ipsum aere alieno oppressas vides, quod stativis legionum praesidiis sese tuentur? Quod autem civibus ad sua opera intentis in bello perincommodum est, id tu in pace iis impones, ut armatos domi apud se conspiciant, ut militaribus vocibus loca publica quotidie strepant, ut ipsorum denique larium mores immutentur? Etenim quotiescunque suis viribus pacem fecerunt nemoque novo discrimine interpellat victoriae memoriam, tum intolerantissime gloriantur atque pluribus exponunt, quantum pugnando praestiterint: unos se patriae salutares esse dicentes. Hae non extemplo quidem et uno quasi agmine cogitationes obveniunt, sed paullatim, tempore, contubernio, usu. Tamquam si separati atque separandi sint a caetera civitate, in sese coguntur; otio deinde lasciviunt, quod quantum fortitudini adimit, tantum addit proterviae; mox ubi justis praemiis non putant se coli, fervent animis, intumescunt, indignantur, sua arma non timeri. Itaque queruntur cives de incommodis aegre tolerandis. Adde quod intra oppida nec disciplina servatur castrensis nec tirones eo in otio satis probantur. Nam veterani quoque languore et desidia confecti in urbibus commorantur et praesertim si sunt mariti, curis et consuetudine vitae familiaris effeminantur.

Ad quos scrupulos ego: Sane quidem hoc tibi largiendum est inquam, tales exercitus, quales hoc anno in Austria sustentantur, permolestos esse, sed praesidia tamen alenda sunt, quae in necessariis excubent locis. Dividantur itaque copiae in quattuor partes easque aequales, ut miles novenis mensibus domi, reliquum annum degat sub armis. Sic enim neque longa et inutilis mora eum a penatibus abalienabit neque rudis erit. Severa sit parendi lex. Lascivia graviter luatur. Et ne quis in otio deterior sit, militari labore exerceatur nunc jaculis ad scopum mittendis nunc cum armis iter facere jussus, ne expeditionem in hostes tamquam laboriosiorem nimis formidet. Ita si quando majores copias desideret bellum alicunde impendens, facili negotio et tirones erudientur et veterani praesto erunt.

Talia mihi disserenti non parvas illas Germaniae civitates, ut Hassiam ipsamve Saxoniam, sed universam Germaniam eamque arctissimis amicitiae vinculis foederatam ante oculos obversatam esse, vix est quod moneam. Nam in istiusmodi quidem tetrarchiis, qualem aut Gothanam aut Vimariensem videmus, milites officio fere funguntur stipatorum, ministrorum, satellitum si non potestatis, at certe majestatis principalis, neque vero defensores, custodes, propugnatores sunt sive libertatis sive patriae. Qua de caussa gravissimum incolae illarum terrarum onus sustinere sibi videntur, coacti tot statuas ambulantes in perniciem aerarii sumptibus nutrire infinitis. Ast ingenuae laetitiae sensu perfusi extollimus jam caput et aliquando recreati nos erigimus ad spem verae libertatis, si reputamus, quid firmamenti ac roboris habeat Germania in juventute sua succrescente, dummodo haec rem addiscat militarem. Quotquot igitur armis habiles et apti erunt inventi, hi ad unum omnes obligentur severissimo militiae sacramento, sic ut reperta in aliquo labe sive corporis sive animi statim exauctoretur et pro ratione delicti commissi mulctetur, nam polluta semel militari disciplina non miles centurioni, non centurio tribuno, non tribunus legato, non legatus imperatori, non magister equitum dictatori parebit. Ita corpus efficiant unum idque validissimum, quod ne amplitudine sua molestum sit, in confiniis maxime Germaniae disponatur ad Rhenum et ad ostium Albis Viadrique et Vistulae, ne quid res publica detrimenti capiat, ira desaeviente vel Gallorum vel Danorum vel Russorum. Imperator autem ea poena teneatur obstrictus, quae est de perduellione, ut caveamus, ne segnior sit ad res gerendas omittatve supremo Germaniae senatui rationem reddere imperii gesti. Ita non ostentationis caussa superbos exercitus alemus ac metuere tandem desinemus armatos, ut Vindobonae accidit

et Berolini. Germania vero, quae inter ortum occasumque solis porrigitur, altis plerumque montibus amnibusque distincta ac pertinens ad Oceanum usque septentrionalem, etiam sine Austriacis tam potens est, ut incolumis esse possit et salva.

Deinceps est dicendum de re navali Atheniensium. Etenim in Graecia tunc temporis omnino ingentes erant copiae navales, triremes et ampla multitudo nautarum, quos nullae umquam gentes antiquae nec arte nec gloria navali aequaverunt, magnae pecuniae reditus et reliquae supellectilis abundantia: caetera denique, quibus pollere urbes existimantur, verum universa haec inutilia, irrita, manca evaserunt opera eorum, qui patriam vendebant [64]. Soli Athenienses initio quidem belli Peloponnesiaci naves trecentas habuerunt [65] et Alcibiades in Siciliam missus est cum triremibus circiter centum et quadraginta [66] ipsiusque Demosthenis aetate Athenienses trecentas naves longas instruere potuisse creduntur [67]. Sed ut Philippum debellarent, minus strenue agebant, nam obsidente eo Heraeum castrum in Thracia situm decreverant illi quidem quadraginta naves in aquam deducendas [68], sed postea decem tantummodo easque nudas Charidemo tradiderunt militibus alibi complendas [69]. Ac rege ipsam Graeciam invasuro Demosthenes triremes quinquaginta comparandas esse dicit praeter eas, quibus equites et equi veherentur, exceptisque actuariis navigiis, quorum in pertrahendo usus erat [70], exclamans: non implebitis mare triremibus? non jam surgetis abituri in Piraeum? non deducetis classem [71]? Halonneso autem ab Atheniensibus ex jure repetita rex concessurus ille quidem erat hanc insulam, sed eo consilio, ut universis Graecis manifestum redderet, Athenienses ita contentos fore, si locos maritimos a Macedonibus recepissent [72].

Demosthenes igitur non ut plerique, qui coram imperita multitudine verba faciunt eique blandiuntur, maria inani sonitu declamatoris complevit, sed revera ostendit, quibus auxiliis omnia tutissima forent, si nimirum arma adversus Macedonem caperent, si in bello se interponerent, si non spectatores, sed actores belli essent neu fortunae alienae eventum opperirentur, priusquam ipsi de rerum suarum discrimine cogitarent. Quodsi juvenes litterarum studiosi Demosthenem ita loquentem audiant atque oculis ad contemplandum apertis contentionem quan-

---

64) Phil. III, 40. 65) Thucyd. II, 13.
66) Plutarch. Alcib. 20. 67) V. Franke ad Phil. II, 12. cl. I, 16. 68) Olynth. III, 4.
69) Ibid. 5. 70) Phil I, 16. 22. 71) Or. de Chers. 74. 72) de Hal. 6.

dam et comparationem faciant uniuscujusque rei, intelligant necesse est, quantopere dolendum sit, quod Graeci non omni sua potentia navali regem Philippum oppugnarint.

Ac nobis quoque Germanis idem illud sedulo curandum est, ut patriam nostram dilectissimam in tuto collocemus idoneo classis et copiarum navalium apparatu. Nam ora maritima Germaniae patens apertaque est et a Venedico sinu usque ad fines agri Batavi extenditur et ubique opinor faciles appulsus habet, accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum opportuna. Sed extrema quidem lingua Chersonesi Cimbricae non est in nostra ditione ac potestate: quam ob caussam populus ille, qui Daniam incolit et piratica jam inde ab antiquissimis temporibus facta omnes, qui Germanico itemque Suecico mari utuntur, habet vectigales, impune nos vexat. Britannis autem et Francogallis, Batavis et Suecis caeterisque nationibus navigantibus paene ludibrio et despectui sumus. Ac vixdum a Germanis vexillum navale excogitatum acceptumque est publice proponendum. Nihilosecius tamen nuperrime parvum ejus rei initium factum est. Etenim Ioannes, imperii Germanici administrator, naves aliquot longas aedificari, remiges institui, nautas gubernatoresque comparari jussit et pro magnitudine periculi, quod mercatoribus nostris a Danis imminet, bellum parare et maxime ea, quae ad usum navium pertinent, providere coepit, hoc majore spe, quod multum voluntate populi confidit, qui jam sua sponte nonnihil pecuniae ad eam rem contribuit.

Nonnullam igitur facultatem habemus scapharum, lemborum, lenunculorum, quibus ad officium imperiumque convenientibus littora tueamur. Mox autem, si quid augurari licet, nostra ista classis exstructa et remis et vaporibus, non litteris tantum [73] etiam in vastissimo atque apertissimo Oceano navigabit, honorifice ab omnibus Europaeorum et Americanorum navibus salutata. Itaque desinet Germania non odio solum apud hostes, qui ad exstinguendum nomen Germanicum arma aut olim ceperunt aut aliquando capient, sed mala etiam existimatione inter socios laborare. Nec inopia nobis est materiae ad novas fabricandas naves, quippe quum vel Britanni abiete ex silvis Germaniae utantur. Holsatis autem et Frisiis nomina militiae nobis maritimae dantibus ne magistri quidem navium deerunt satis boni. Atque certantibus aliquando inter se caeteris Europae gentibus haec erit nostra conditio, ut neutri parti nos conjungamus, sed illa pars futura sit superior, cui pacem optaverimus.

---

73) Ἐπιστολιμαίοις δυνάμεσιν, ut Demosthenes ait Phil. I, 19.

Quod autem Athenienses in bello adversus Philippum gerendo tardiores omninoque in ulciscendis injuriis remissiores erant, ejus rei caussa, ut supra jam paucis demonstravimus, in temeraria illa profusione erat posita, qua pecuniae publicae dissipatae sunt. Quanta enim pecuniae summa fuerit, quae olim in tabulas publicas redierit, id ipsum conjectura satis certa assequimur legentes, quotannis in aerarium importata esse sexcenta talenta a sociis contributa praeter proventum agri publici et praeter metalla, portoria, mulctas judiciales atque vectigalia inquilinorum: nam Pericle quidem regnante in arce reposita fuisse perhibentur argenti signati sex millia talentum, in summa vero decem millia minus trecenta cum auri et argenti pondere non signati, in donariis tum privatis tum publicis inclusi, item sacrae supellectilis et ad pompas ducendas et ad certamina instituenda comparatae non minus quam quingenta talenta, insuper spolia Medica, in quibus sella Xerxis commemoratur, in qua sedens ille pugnam Salaminiam spectaverat, pedibus ornata argenteis, et gladius Mardonii ex solido auro fabricatus. Porro ex reliquis vasis atque utensilibus sacratis permultum argenti, quo ad bellum uterentur, potuit urgente necessitate conquiri, maxime ex clypeo, galea, soleis, basi, hasta et caetero apparatu, quo instructa erat statua Minervae, deae tutelaris Athenarum, quae statua quadraginta talenta auri habebat, et quum aurum plerumque apud Graecos decies tanto pluris quam argentum esset, quadraginta auri talenta quadringenta argenti aequabant [74]. Quodsi Athenienses Philippo strenue bellum fecissent, pecunia certe non prorsus eos deficiebat.

Tamen nihilominus aetate Demosthenis in aerario nihil esse solebat, immo saepe ne unius quidem diei alimenta exercitui suppetebant, et accidit, ut, simul atque bellum gerendum esset, nihil haberent, indigentes vel rebus ad victum quotidianum necessariis [75]. Quare talentis mille et quingentis in bellum Amphipolitanum per decem annos gestum impensis [76], quotiescumque caussae Macedonicae mentio injiceretur, illico unus aliquis eorum surgebat, quorum avaritia socordiaque res publica perdebatur, demonstraturus, pace et otio frui quam dulce, contra exercitum alere quam grave esset, et clamabat: en suasores et auctores nonnulli exsistunt belli, ut occasionem diripiendi aerarii

74) Olynth. III, 24. Thucyd. II, 13. ibique Goell. Boeckh. Oeconom. publ. Atheniens. 3, 20. Vol. I. p. 10. 172 sq. 175 sq. 472 sqq. Mans. Spart. II, 398 sqq. Wachsm. Antt. Gr. 2, 1. p. 145.
75) Or. adv. Aristocr. p. 76. tom. III. ed. T. Isocr. Symmach. p. 267. ed. Lang.
76) Olynth. III, 28.

habeant! cujusmodi vocibus una ex parte retardabantur Athenienses, ex altera regi consiliorum explicandorum opportunitas dabatur egregia [77]. Nam, ut fit, unusquisque Graecorum illa aetate hoc tempus in lucro sibi ponebat, quo peribat alius, neque quidquam providebat, dum domus proxima ardebat, incendium ad se brevi pervasurum. Itaque Philippus, communi Graeciae salute ab omnibus neglecta, accessit, non ut febris intermittens, quae statis diebus redit, sed quae quasi in orbem vagans pedetentim in omnes grassatur [78]. Et quamvis Graeci haec viderent, tamen socordes exspectabant pariter atque illi, qui grandinem appropinquare videntes exspectant fore, ut a suis certe agris calamitas prohibeatur [79].

Confitendum est igitur, administrationem rei publicae Atheniensis pessimam fuisse. Nam, antiquis temporibus privatim nemine supra vulgus eminente, id quod hinc clarissime cernitur, quod Miltiadis et Themistoclis aliorumque priscae aetatis illustrium virorum aedes reliquis nihilo splendidiores fuerant: Demosthenis aetate privatae singulorum fere magistratuum opes tantae erant, ut alii aedes multis publicis aedificiis magnificentiores haberent, alii latifundia coëmerent uberrima, atque quum Aristidis, qui suo arbitratu ordinandi vectigalia potestatem habuerat, opes ne una quidem drachma auctae et funus publicis adeo sumptibus elatum esset, illo tempore ii, qui rem publicam administrabant, ex inopia perveniebant ad opes, sic ut populus magistratuum non dominus esset, sed minister [80].

Exsecrabili autem illi morbo, qui permanat in venas et inhaeret in visceribus civitatum nec inveteratus nisi summa contentione evelli potest, nomen est avaritia. Atque haud ita pridem in Francogallia idem illud contigit, ut procuratoribus rerum publicarum aviditate pecuniae correptis ingentes motus civiles excitarentur, quibus non rex modo ejectus, sed tota gens Borbonia Aurelianensis exclusa est. Viderint ergo juvenes litterarum studiosi, quantum calamitatis ex cupiditate divitiarum oriatur. Etenim nefanda illa sitis numquam expletur et avaritia insatiabilis incredibilia potest, quoniam hominum mentes ita obstrictas tenet, ut eas nullo tempore respirare permittat. Nihil est autem illo vitio tetrius, praesertim in iis, qui rem publicam gubernant: habere enim quaestui rem publicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam atque nefarium. Atqui nostris temporibus in Europa haud pauci inveniuntur, qui, ut quondam luxuriosi illi

77) Or. de Chers. 52. 78) Phil. III, 29. 79) Ibid. 33.
80) Olynth. III, 31. 33 ex. Or. adv. Aristocr. p. 75 sqq. Wachsm. 2. 1. p. 146.

rectores Atheniensium, nullo alio res publicas consilio capessant quam ut suppetat, unde effrenatas libidines suas facili negotio satient. Nam ex luxuria gignitur avaritia, ex avaritia autem erumpit audacia, quam si tollere velis, ipsa procreatrix ejus est tollenda.

Superest, ut etiam de legationibus Atheniensium exponamus, idque faciam quam paucissimis fieri poterit. Nam etsi viae antiqui orbis Europae multitudine legatorum undique missorum nondum ita frequentabantur, ut nunc aut Londini aut Lutetiae Parisiorum aut Vindobonae aut Berolini aut Petropoli aut Bruxellis aut caeteris denique urbibus Europae sive primariis sive secundariis, neque legationes ipsae perpetuae erant, tamen aliquoties factum esse per Demosthenem accipimus, ut homines aut ad Philippum in Macedoniam aut ad Graecam aliquam civitatem legarentur vel foederis faciendi caussa vel ob aliud negotium publicum.

Sic Demosthenes ipse cum nonnullis aliis Pellae a Philippo jusjurandum de pace exegit[81] vel potius Pheris, ubi rex tandem in deversorio quodam juravit ita, ut Halenses et Phocenses pace excluderentur. Item orator noster in Peloponnesum missus est, ubi, quemadmodum ipse loquitur, res ita tulit, ut ostenderet, quomodo Philippus exiguas Graeciae civitates muneribus deleniret et lenitas devoraret: non enim ex verbis, quibus promissa comprehenderentur, sed ex perfidia et malitia, per quam universis Graecis insidiae tenderentur, judicandam esse Macedonis impudentiam[82]. Itaque Philippo Cardianis contra Athenienses auxiliato censet, legatos ad omnes Graeciae civitates esse mittendos, qui docerent, monerent, conficerent, quidquid rei publicae prodesset[83]. Ac Philippi et ipsius crebrae legationes Athenis recipiuntur, quarum unam vel ad epulas in Tholo paratas vocatam esse legimus[84].

Recte vero Demosthenes providendum ait, ne verba tantum legati proferant, sed opus quoque aliquod efficiant, quum omnis oratio, si res absint, frivolum quiddam existimetur et inane. Inprimis autem conditiones Atheniensium meras nugas videri, quibus suspicio populorum augeatur atque perpetuo crescat: nam Athenienses esse illos quidem eloquentiae inventores, sed ea in pessimam omnino partem uti[85].

Quis hic non animadvertat, hujus quoque rei cognitionem adolescentibus litterarum studiosis, si non omnibus certe nonnullis, qui fortassis ipsi aliquando legabuntur, utilissimam fore? Nam in hoc quidem genere commercii maxime

[81]) Or. de Pac. 9. [82]) Phil. II, 19 sqq. [83]) Or. de Chers. 76. cf. Olynth. II, 11.
[84]) Or. de Hal. 20. [85]) Olynth. II, 12.

